

planetarum vi concitatis, quam ab hominibus ipsius derivare maluerit. His vero concessis, sicuti concedi oportet, omnibus fere astrologorum vulgarium fabulis et commentis aditus patefactus est.

Quod vero auctor de honore numeris 19 et 60 ab antiquitate habito narrat, atque inde porro efficere vult, id magnas habet exceptiones et dubitationes. Nam de auctoritate quadam singulari ab antiquitate numero 60 attributa nihil compertum est. Harsdoerfferus quidem in continuatione Deliciarum physico-mathematicarum Schwenterii nonnulla de numero 60 adnotavit, sed ea nequaquam ita sunt comparata, ut honor singularis huic numero praestitus inde eluceret. Numerum 19 autem idem Harsdoerfferus omnino mysticum esse negat. Caeteroquin si revera numero 19 ab antiquis aliquis tributus fuisset honos, id explicationem multo expeditiorem et probabiliorem in cyclo Metonis, quam in Saturni et Iovis coniunctionibus inveniret.

In eo autem, quod auctor noster domos seu stationes solis ad instar stationum lunae invexit, et coniunctiones in principiis signorum contingentes reliquis efficaciores pronuntiavit, veterum astrologorum facultatem fingendi et ementiendi, at simul quoque vanitatem et temeritatem penitus aequavit. Ac quum sic perfectum exhibuerit astrologum, mirum profecto esset, si ubique sibi constitisset, nec ad exemplum priorum astrologorum pugnantia inter se expronsisset. At tabula, qua plures coniunctiones cum eventibus suis composuit, huius neutiquam evitatae repugnantiae haud pauca exempla subministrat, quorum nonnulla hic adiiciemus.

Divisio regni Carolingici A. 843 facta relata est ad coniunctionem A. 854; haec itaque eventum suum annis 9 praecessit.

Novi orbis detectio A. 1492 facta ad coniunctionem magnam A. 1429 (cur non ad propiorem A. 1484?) relata